1863

DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

1863

DIE XXII. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

C. ALBERTUS PFEFFER,

RUSSUS.

OPPONENTIBUS:

CUERTEN, DR. MED.
DE CORSWANT, DR. MED.
F. NOË, DR. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

AVO

OPTIMO DILECTISSIMO

THEOPHILO BUVE

NEC NON

FRATRIBUS CARISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTO[R]

Pauca de historia morbi.

Anno demum LXXIV saeculi XVI a Thoma Willis saccharum in urina laborantium diabete mellito inesse gustatu cognitum est. Nam quae multa ante cum scripta sunt, et ad diabetem mellitum et ad polyuriam sive diabetem insipidum referri possunt. Atque imprimis Aretaeus quidem etsi illos morbos inter se discrepantes penitus non novit, tamen accuratiora quaedam memoriae tradidit.

Deinde Pool, Dobson, Caroley, viri Anglosaxi artem chemicam exercentes, primi saccharum ex urina secreverunt. Praeterea quae Rollo de hoc morbo scripserit afferre necesse est, quem hujus saeculi initio Dupuytren et Thenard secuti sunt. Hi quidem viri docti, morbi sedem in stomacho esse, contenderunt. Sed fundamentum, quale a viris eruditis postulatur, positum est quum substantias amylosas in saccharum permutari, inventum esset. E nostratibus multi quidem de diabete mellito scripserunt, sed imprimis ii mihi nominandi sunt viri, quorum opera cognitio morbi multum provecta est:

Bouchardat, Mauritius Traube (in Virchows Archiv) Griesinger, Schiff, Weikart Reichenaviensis (in Wunderlichs Archiv, Jahrgang 61).

Pathogenesis et Aetiologia.

Ubi sedes morbi re vera quaerenda sit, adhuc nondum satis liquet. Rollo quidem stomacho tribuit et renes secundo loco affici censuit. Saccharum autem in renibus non exsistere sed iis ex sanguine segregari pro comperto habemus.

Alii deinde diabetem mellitum ex impedita permutatione sacchari sanguini adducti deduxerunt e saccharum hepate paratum pulmonibus non satis oxydare, opinati sunt. Id quidem dici potest, pulmonibus certam tantum copiam oxydari, et eam ob causam id quod superest cum sanguine ultra pulmones porro vasa percurrere aut conditiones adhuc ignotas permutandi sacchari deesse. Sed hac opinione nihil demonstratur, quam diu conditiones illae ignotae sunt.

Sunt praeterea, qui defectu alcaliorum in sanguine permutationem sacchari impediri censuerint. Hanc sententiam falsam esse, jam diu ab aliis demonstratum est.

Jam dicam de sententia eorum, qui acceleratam et auctam amylaceorum permutationem, qua fiunt saccharum putaverint causam esse posse diabetae. At si res sic se haberet, statim finis esset sacchari efficiendi, ubi, quominus amylacea adducerentur pro

hiberetur. Hoc autem certe in stadio, quod dicunt Traubiano altero diabetae non fit.

Postquam Claude Bernard repperit, hepar esse organum, quo saccharum paratur, morbi sedem in illo inesse voluerunt. Nam Claude Bernard punctura sacchari (piqûre) quam dicimus evicit, ea diabetem arteficiose effici posse, idemque morbum deducit ab hepatis nervis aliquo morbo affectis. Contendit enim, si in nervum sympathicum, qui nimia industria antagonistae imbecillior factus esset, flumen galvanicum inducere possemus, nos diabetem curare posse.

Qua de re haec constant:

Laesione circa ventriculum quartum facta effici, ut saccharum in sanguine et in urina exsistat, Claude Bernard censet. Jam si sequeris ea, quae Uhle et Schroeder inspiciendo et perscrutando repperérunt, locus ille non est in origine nervorum vagorum, sed supra, longitudine quatuor circa millim. eademque latitudine. De Becker posteriori pontis parti eandem vim attribuit, quum dicit, necesse esse, fibras transversas inter pontem et crura cerebelli ad pontem sitas pungendas esse, ne punctura (piqûre) irritata fiat. Auctore Schiff laesa anteriore medullae spinalis parte diabetes mellitus exsistere potest. Idem effici Kuehne et Schiff docent, si acu crasso in posteriore atlantis parte defixo medulla oblongata laeditur. Postremo de Graefe et Hensen persectis nervis splanchnicis in hepate hyperaemiam exsistere censent, qua re illius functio augeri saccharumque in urina comparari dicitur. — His ratiocinationibus

physiologicis tamen nihil fere provecti sumus in explicanda diabetae natura.

Nam obductione facta, etiamsi diabetes diu permanserit, nihil in systemate nervorum centrali mutatum, pauca tantum neque constanter mutata in aliis organis invenimus; ac ne his quidem mutationibus si exstant diabetes effici potest, quia saepe eas deficiente diabete animadvertimus. Quae symptomata igitur tantum pro secundariis habenda sunt. Hepar est organum, in quo maximas permutationes conjicere possemus, normale est aut hyperaemicum. Functionem hepatis auctam cum mammae functioni comparare licet, quae in secretione perdacta tamen mutationem insignem non praebet. — Nihil reliquum est, nisi ut irritabilitatem contra naturam auctam systematis nervorum statuamus, qua sacchari secretio major efficitur. Et quum consideramus, in nervorum systemate eorum, qui nervis graviter afflictis, ut tetano laborant nihil mutati ostendi posse, eo magis rem modo explicandam esse adsentiemur.

Aetiologia quidem morbi omnino obscura est. Teste Griesinger diabetes mellitus multo saepius mares quam feminas vexat, ut numerus aegrotorum marium triplus sit numeri feminarum. Pueri aut senes rarius hoc morbo quam homines aetatis firmae afficiuntur. Mares maximam partem annos XXX—XL nati, feminae X—XXX annos natae diabete laborant.

Causae, quae per occasionem morbum efficiunt, nominantur: perfrictiones, permadefactum corpus,

vis illata corpori, nimia sacchari, musti aut talis cujusdam copia sumpta. Ex his omnibus causis maxime respiciendae sunt laesiones ex ictu factae, quae plerumque causae diabetae haberi possunt. Itaque Griesinger anno h. s. LIX (in Wunderlichs Archiv) de diabete dicit ab ipso in textore linteario observato. Hic enim narrat, jugo circa stomachum impresso eoque cum ictu in eandem partem repulso, saepe se dolores sensisse, semper opere perfecto, plane toto corpore languidum lassumque fuisse, donec morbo latius provecto omnino, quominus artem exerceret, prohiberetur. Postremo id quoque afferendum est, diabetem hereditate suscipi posse dici et melituriam in homine cutis inflammationibus carbunculosis et extentis affecto, quae symptomatibus vehementissimis septicis procedunt, observatam esse.

Nonnulla afferam quae ad anatomiam pathologicam pertinent. Cadaver valde macilentum est, saepe decubitus, furunculi, carbunculi, in pulmonibus semper fere symptomata tuberculosis inveniuntur. Hepar, renes, splen interdum ampliora, nimio sanguine impleta; tractus intestinalis id quod Dittrich contendit, hypertrophiam praebere dicitur. Addendum est lentes cataractose degeneratas inveniri, id quod alii ex saccharo in lente deposito, in quo numero imprimis Dr. Goldschmid jun. Vratislaviensis est, ex liquore lentis resorpto, quod fit ex liquore totius corporis amisso explicant. Haec quidem sententia experimentis a Kunde et Koehnhorn factis, qui aqua

artificiose detracta in lentibus ranarum et mammalium turbationem effecerunt, mihi quidem probabilior videtur. Pancreas saepe atrophicum apparet.

Quod ad sacchari in variis organis copiam et distributionem, attinet his quae sequuntur, admodum illustrabitur. In Leberti enim clinico a Neukomm moderante Prof. Staedeler haec inventa sunt:

In urina inerat 2,5 % sacchari; quod in viventis fuerat, inositum inesse demonstrari non poterat; in renibus praeter 0,12 % sacchari inositum, leucinum, tyrosinum; in sanguine 0,09 % sacchari et magna vis acidi urinosi; in hepate multum sacchari; in splene nihil sacchari, sed permultum leucini et tyrosini; in pancreate paulum sacchari, leucini, tyrosini; in testibus 0,2 % sacchari, aliquid leucini; in pulmonibus multum leucini et paulum tyrosini, sacchari nihil; in cerebro nihil sacchari, multum inositi et creotini; in corde nihil sacchari, sed leucinum et parva copia inositi; in musculis nihil sacchari, nihil inositi, leucini paululum, in praecipitato plumbo acidum urinosum; in humore pericardii et oculorum multum sacchari 0,17 %, in fele saccharum.

Symptomata et decursus.

Omnium symptomatum maxime insigne est quantitas et qualitas urinae, quae plane discrepant ab eo, quod fas est. Sed priusquam ad narranda ea, quibus urina diabete vexatorum ab aliorum differt, accedam, hoc affero: in aliis etiam morbis saccha-

rum in urina inventum esse, et ut exemplum promam in urina neonatorum, in urina eorum, qui chloroformium inhalaverant, postremo secundum ea quae pharmacopola Franco-Gallus, cujus ut nomen cognoscerem frustra operam dedi, multis organis carcinomatose degeneratis saccharum in urina inesse dicitur. Sed hoc aliis exemplis et firmis quidem experimentisque ab aliis factis comprobandum est.

Nunc vero ad describendam urinam diabeticam accedamus:

Urina candida est, sapore subdulci, pondere specifico permagno ejusque magnae quantitates, interdum ingentes secernuntur: 5000—10000 C. C.; pondus specificum fluctuat inter 1,025—1,050 quin etiam ad 1,070 copia sacchari usque ad 5 aut 7 %, augeri potest.

Quod ad copiam per horas XXIV editam attinet, a medicinae candidato Hoffmann, moderante Niemeyer, evictum est, si homo diabeticus et homo sanus eandem copiam liquorum ceperint, ex illo multo majorem copiam secerni, quam ex hoc. Accedit, quod Dr. Herm. Weikart celeritatem percolandi sanguinis, addito saccharo et alcaliis, in glomerulis capsularum Malpighii crescere atque augeri, demonstravit exemplisque firmavit.

Jam si spectamus genera sacchari quomodo celeritate percolandi inter se differant, arundinosum optimum est, sequitur saccharum uvarum, deinde lactis. Quare saccharo arundinoso diuretico uti possumus. Injectionibus sacchari arundinosi et al-

caliorum carbonico-acidorum factis diuresim accelerari scimus, quum ea re sanguis magis ad percolandum idoneus fiat. In universum in hominibus diabete affectis tardius ex intestino resorberi quam in sanis, Griesinger et Falk testantur. Si copiam aquae percolandae eadem impressione eademque membrana numero: centum parem ponimus percolandi celeritatem variarum sacchari uvarum solutionum computare possumus. Si adhibemus aquam destillatam = 100, si solutionem sacchari uvarum 2 % continentem = 90,37, si eandem 4 % continentem 68,04, si 6 % continentem = 55,82.

Urina matutina vel mane reddita pondere specifico majore est, quam alia, id quod nescio an eo fit quoniam mane plus elementi urinosi (Harnstoff) et salis urino-acidi secernitur (harnsaurer Salze). Sed quamquam ex symptomatibus modo allatis, saccharum in urina inesse, certius colligere licet, tamen res ad liquidum examinibus sacchari demum, quae dicimus, perducitur, quo e numero nonnulla afferam.

Et e certissimis quidem exploratio sacchari Trommeriana; est autem in universum in eo posita, quod, si variae substantiae organicae adsunt oxydohydratum cupri, Kalio caustico et Natro caustico genitum, in eo quod reliquum restat duorum alcaliorum, solvi potest. Si substantiae hae organicae constant ex saccharo amyli vel uvarum, ex saccharo fructuum et lactis, solutione calefacta oxydulum cupri exsistit. Oxydum igitur cupri in oxydulum

reducitur. Humor calefactus colore caeruleo amisso flavum, luteum, rufum recessit.

Hac exploratione saccharum omnino in urina inesse demonstratur, quanta insit non cognoscimus. Qua de re ut certiores fiamus, cum alia tentamina, tum id quod Fehling proposuit, instituimus.

Recipias 40 Gr. vitrioli cupri, soluta in quadrupla aqua, praeterea solutionem concentratam 160 Gr. Kalii tartarici simplicis, 560 Gr. liquoris Kalii caustici et tantum ad id aquae, ut liquoris volumen (+ 15° C.) unum litre mensura sit. In cylindrum vitreum, in quo C. Cm. notata sunt, decem C. Cm. liquoris illius coerulei tentauri infunduntur, ut e vasculo vitreo, in quo millimetra singula inscripta sunt, liquoris examinandi tantum guttatim infunditur, ut color coeruleus evanescat. Quod ut fiat, 0,0577 Gr. sacchari uvar. opus est. Jam cum ex vasculo vitreo illo perspicere possimus, quantum liquoris infusum sit, accurate computare possumus, quantum in liquore infuerit sacchari.

Postremo apparatus polarisatorii, quem Soleil et Ventzke construxerunt, et apparatus Robiquettii, mentionem facio, quibus item saccharumne in liquore insit, inveniri potest.

Mauricius Traube duo distinguit melliti diabetae stadia. Quorum in primo saccharum e nutrimentis amylosis aut saccharosis exsistit, in altero per se oritur, ita ut illis nutrimentis, remotis aut detractis nascatur. Maxime (ille quidem ait) secretio sacchari fit paucis horis postquam aegrotus majorem ciborum

mixtorum copiam sumpsit; orto horis post omne ex nutrimentis ortum saccharum in urinam transiit. Hoc tempore elapso in primo diabetae stadio saccharum secerni desinit, in altero tale solum secernitur, quod in hepate paratur.

Cui tamen Niemeyer obloquitur, quum contendat, primum stadium, quale a Traube descriptum sit, omnino non esse, quia in urina laborantium diabete semper saccharum ostendi possit.

Praeter hoc proprium urinae in diabete mellito alia etiam symptomata et ea gravissima nobis nominanda sunt. Et primum quidem fames atque sitis mirum in modum auctae sunt notandae. Quae quidem, diuresi, quae eadem valde aucta est, efficitur. Qua de re, ut verbis ipsius liceat: „Es ist festgestellt, dass die Kranken nicht deshalb viel Urin lassen, weil sie viel trinken, sondern viel trinken, weil sie viel Urin lassen. Wie ein Mensch, der viel Schweiss vergiesst, wie ein Fieberkranker, der viel Wasser verdunstet, oder ein Cholerakranker, der viel Wasser durch die Darmcapillaren verliert, so dürstet auch ein Diabetiker, der noch einen grösseren Wasserverlust durch die Nieren erleidet, weil sein Blut eingedickt wird.“ Unde fit ut cutis acida atque aspera appareat. Accidit quod Griesinger in sudore diabete affectorum, qui tamen rarus et singularis observatur, saccharum inesse docet, nam omnino sudores fere non nisi tuberculosi ad diabetem accedente observati esse dicuntur.

Quod aegroti tantopere esuriunt, tantamque ci-

borumque cupiditatem ostendunt, hoc nescio an hoc modo explicare possimus.

In ovo, cui gallina jam incubuit, plus sacchari inesse scimus, quam cui nondum incubuit (Lehmann, Meissner). Quum vero in ovo nulla materia amylaceis similis insit, nihil aliud factum est, nisi quod albumen, calore incubitus affectum, in saccharum et materiam organis praeditam dilapsum est. Quare in hepate etiam e corporibus albuminosis saccharum secernitur. Griesinger invenit, duas quintae ponderis partes, quod valent copiae carnis ingestu aut tres quintae ponderis partes albuminatorum solidorum secerni ad saccharum efficiendum. Praeterea si in id animum convertimus, quod ingens ciborum copia minime rite digeri potest, sed potius certe contra legem dissolvitur, facile explicabimus, unde macies hominis aegroti constanter in dies atque plerumque mirum in modum crescat. Quum enim et amylacea et albuminata maximam partem in saccharum permuteatur, quod rursus imprimis renibus secernitur, exigua tantum paro nutrimentorum ad reficiendas corporis vires convertitur, qua re fit, ut corpus nova reficiendi et restituendi materia egeat. Haec fere sunt symptomata constantia; sed praeterea alia sunt, quae non constanter desiderantur. Quo ex numero afferre licet: dentium cariem, quae teste Falk ex libero acido eos afficiente exsistit. Dicit enim liberum acidum exsistere ex dissolutione oris secretis saccharosis. Sed quum auctore Claude Bernard salivae saccharum non insit, Falk errasse videtur.

Acido quodam cariem effici credam. His addam e excoriationes glandis atque praeputii, feminarum in circuitu orificii urethrae, quas ex urina saccharosa illas partes alluente ortum capere verisimile est, e cataractas, de quibus jam supra dixi. Praeterea non omittamus, quod saepe una cum diabete furunculi, carbunculi, decubitus, gangraena spontanea extremitatum, pneumonia lobularis, gangraena pulmonum inveniuntur. Interdum in urina albumen invenimus, semper tamen exiguum tantum. Hoc albumen non cum eo confundendum est, quod symptomati nobis fit morbi Brightii inter diabetem orientis. Denique adjiciam odorem diabeticis proprium exhalatorum, urinae, vomitorum. Peters causam illius esse aceton censet.

Restat, ut dicam de symptomate constanter fere diabetem sequente, id est: de tuberculosi, qua dimidium omnium diabete laborantium perire Griesinger contendit. Tuberculosis ex nutritu graviter afflicto explicari posse putatur. Nonne vero fieri potest, ut saccharum sanguini admixtum quasi irritamentum pulmones ita afficiat, ut nutritu eorum impedito tuberculosis efficiatur? (?!) Faeces diabetici durae et aridae esse solent.

Venio ad processum diabetae melliti. Hic quidem semper fere chronicus est, quamquam Becquerel puerum tredecim diebus praeteritis, id est processu acuto, mortuum esse narrat. Nam processus tam acutus certe rarissimus est habendus. Oritur autem morbus plerumque obscure et lente. Symptomatibus,

quae supra attuli, commonefacti aegroti animum ad malum attendunt et quum symptomata periculosa esse non videantur, saepissime fit, ut medicus, ad aegrotum vocatus, morbum jam plus minusve provectum inveniat. Spatium morbi annum usque ad triennium esse Griesinger observavit. Id quoque notandum est, homines, qui in meliore vitae conditione praecepta medici accurate sequi possunt, diutius quam inopes morbum ferre.

Denique enarrabo qualem nuper morbi processum Griesinger observaverit, quum a processu solito plane diversus fuerit.

Lintearius quidam, annos XXIII natus, qui tabe diabetica provecta laborabat, ad finem morbo typhoso affectus est. Multis ex symptomatibus typho aegrotum laborare colligi potuit, sed quum lien non tumefactus et quum corporis calor modo exiguus esset, diagnosis fieri non potuit. Sacchari secretio pergebat, aegrotusque tabe periit. Sectione facta, in intestino processus typhosi cogniti sunt.

Diagnosis.

In universum diagnosis diabetae melliti difficilis non est. Nam sitis ac fames, maximam partem mirifice auctae, defectio virium paullatim crescens, magna urinae copia, saccharum in urina cognita diagnosim certam ac facilem reddunt.

Prognosis.

Prognosis nunquam fere spem sanandi ostendit, quum et incertum sit num valetudo restituatur, et circiter annum trienniumve spatium morbi observatum sit. Aegrotus aut tabe sola paullatim crescente, quae quum nutritus impeditus sit diabete mellito efficitur, aut malo quodam insuper accedente perii. Si tuberculosis mature exsistit aut jam ante diabetem valuit, mortem accelerari, planum est. Interdum morbum aliquamdiu subsistere, sunt qui contendant.

Therapia.

Quamquam usque ad hoc tempus hominis diabete vexati valetudinem esse, nondum observatum est, tamen medicus prudens ac diligens morbum longius ducere et sitim ac famem quibus patiens tantopere vexatur, plus minusve diminuere potest. Sed priusquam de therapia dicere pergam, duas afferam morbi historias, ex clinico Gryphiswaldensi accurate observati. Unde apparebit, diabetem vel satis provectum sin minus sanari, tamen cura ac diligentia adhibita, allevari posse. Quum enim in malo tam gravi tabes corporis sine cura in dies incrementum capiat, multum sibi profecisse medicus videri potest, qui eam ita inhibet, ut ulterius non progrediatur; qua re, ut ita dicam, pro victoria therapiae habendum est, quod pondus Bellenbaumii, qui hoc morbo laborabat et de quo statim agendum est, postquam per IV menses assidua ei curatio adhibita est, decem libris pondo auctum sit.

Ferd. Bellenbaum, caminorum purgator viginti sex annos natos, parentibus sanis et validis ortus, idemque antea sanus, pneumonia affectus est, ex quo morbo tamen prorsus convaluit. Sed paullo post, quum tussi iterum laborare coepisset, saepius se ac plus mingere animadvertit. Hac urinae secretione aucta simul incidit in totius corporis imbecillitatem atque infirmitatem quamvis ingentem vim nutrimenti et solidi et liquidi, ut VIII—X quadrantes aquae quotidie sumeret. Septem circiter aut octo mensibus post pneumoniam repulsam elapsis aegrotus d. XXIV m. Dec. anni h. s. LXII in nosocomium hujus urbis receptus est. Tum quidem toto corpore macilentus erat. Auscultatione et percussione pectoris instituta, medici invenerunt: in partibus superioribus pneumonum sonum fuscum, una cum respiratione partim incerta, partim bronchiali et cum rhoncho sibilante; stomachum extensum, cetera organa justa. Urinae pondus specificum erat 1,036; acidi non multum, albuminis nihil inerat; sed sacchari multum experimento Trommeriano inveniebatur; horis XXIV 5860 Cub. C.M. urinae reddebantur; corporis pondus erat 45,5 Kgr. Videndi facultas non erat minuta, dentes maximam partem carie infecti; memoria non erat attenuata. Patiens contendebat jam nonnullos menses penis erectionem non esse factam.

Primum Tinct. opii simpl. quater quotidie praescribebantur xij gtt. eique cibus mixtus, lardum, ova etc. dabatur, postea alcalia: Aq. Sodae cum Natr. bicarb. — Hoc modo tractatus, patiens se bene

valere dicebat. Urinae die XIX m. Febr. LXIII po
dus specificum minus erat quam antea (1,032), ac
non multum inveniebatur; horis XXIV urinae re
dita erant 3840 Cub. C. M.; corporis pondus e
48,70 Kgr. Habemus igitur numeros ab omni pa
prosperos. Deinde creosotum (gtt. vj ad ℥vj) qua
per diem cochlear, idemque cibi genus dabat
Paullo post aegrotus de ustione in pharynge et
pene coepit queri, habitus totus corporis deteri
urinae copia multo major fiebat. Quare creos
remoto, opium cum pepsino (gr. v p. d.) dabat
ammon. carbonico aquae, quam bibebat, addito. T
modo quum cura usque ad d. III m. Aprilis continu
esset, patiens adeo valuit, ut ex clinico se dim
vellet, quum vires suas valde auctas esse senti
Corporis pondus tum erat 50,34 Kgr.; specific
urinae 1,035, copia redditae horis XXIV 2920 C
C. M. — Itaque corporis pondus quum quatuor c
citer menses aegrotus tractatus esset, quinque Kg
id est decem libris pondo auctum, urinae pond
specificum paulum, copia quotidiana multo min
est. Per quatuor illos menses in numeris corpo
ponderis fluctuatio non magna fuit; sed plus minus
constanter auctum est pondus. Quod ad specific
attinet, modo minutum, modo auctum est, ut vel
1,027 descenderit. Copia urinae per diem reddi
constanter fere minor facta est.

Accuratiora et de numeris ponderis et de diae
invenies in dissertatione inaugurali a Dr. Klawit
de diabete mellito composita. Ego quidem huic

storiae alteram adjicio, aegroti diabete mellito laborantis, qui in clinico Gryphiswaldensi curatus est.

Robertus Kurtz, sutor, triginta annos natus est. Parentes fratresque validi sunt; ipse puer morbillis et semel tentationibus nonnullis febris intermittentis, ceterum nullo morbo laboravit.

Abhinc annum circa patiens morbum ortum esse opinatus est; nam fames et sitis tam mirifice auctae sunt, ut ipse duplum cibi superioris copiae sumeret, viribus corporis nihil auctis. Sed in dies macilentior et imbecillior factus est. Temporis demum spatio elapso, urinae secretionem auctam esse certissime asseveravit. Ex initio hujus anni videndi facultatem utriusque oculi attenuatam ac minorem factam esse, animadvertit, id quod pallatim eo processit, ut ex compluribus hebdomadibus patiens artem suam exercere non posset, ut oculo sinistro nihil videret et dextro magnas tantum et conspicuas insignesve res perspicere, modoque candidum a fusco discernere posset.

Quum die VI m. April. anni h. s. LXIII in clinicum recipederetur, status hic observatus est:

Patiens macilentus est, cutis cineracea, arida, facile in squamas dilabens; in utroque oculo cataractas habet, et candidum a fusco discernere, neque vero numerum digitorum praetentorum cognoscere potest. Humori oris acidi multum inest; ipsum os acidum olet; dentes maximam partem validi, incisivorum nonnulli cariem orientem ostendunt; organa

respirationis omnino intacta sunt. Sonus fuscas hepaticus finibus quibus fas est continetur; ipsum hepar in superius et inferius movetur neque palpandi dolorem efficit. Abdomen molle, neque dolores adsunt, si tangitur epigastrium non exstat, stomachus paululum extensus est. In pene mutati nihil perspici potest; erectionem ex compluribus mensibus factam esse, negat. Praeterea patiens nihil moratus aut haesitans, interrogatus celeriter respondens; memoria eum deficere non videtur. Urina candidissima, gravis, clara est, nihil ex ea subsedit; sacchari multum albuminis nihil inest.

Praescribuntur: Tinct. opii simpl. ter quotidie gutt. xij, cibi genus permixtum, praeterea quatuor ova et sex semunciae pernae.

Corporis pondus.

die.	mensis.	
10.	V.	47,14 Kgr.
17.	„	46,65 „
24.	„	45,92 „
31.	„	47,50 „
7.	VI.	46,80 „
14.	„	46,82 „
23.	„	46,25 „
5.	„	46,40 „
12.	„	47,00 „
19.	„	47,00 „
26.	„	46,40 „

Pondus specificum.				Urinae copia.	
dies.	mensis.	urin. matut.	urin. diurn.	per hor. XXIV.	
7.	V.	1,033	1,031	7500	C. C.
8.	„	1,033	1,028	7910	„
		Tinct. opii simpl. ter gtt. xij. Forma diaet. prim. ova quatuor, pernae semun. sex.			
9.	„	1,035	1,029	6850	„
10.	„	1,029	1,024	7020	„
		mult. acidum	mediocr. acidum		
11.	„	1,031	1,025	7290	„
12.	„	1,035	1,030	4500	„
		assum vitulinum			
13.	„	1,030	1,026	6140	„
14.	„	1,031	1,028	5250	„
15.	„	1,030	1,027	5280	„
16.	„	1,028	1,026	4800	„
		VI ova, Tinct. opii simpl. ter gtt. xij.			
17.	„	1,030	1,025	4700	„
18.	„	1,029	1,029	5360	„
19.	„	1,028	1,026	5400	„
20.	„	1,030	1,025	5400	„
21.	„	1,027	1,027	5250	„
22.	„	1,030	1,025	5650	„
23.	„	1,029	1,024	4660	„
24.	„	1,030	1,030	4020	„
		Tinct. opii simpl. gtt. xx.			
25.	„	1,030	1,028	4820	„
26.	„	1,033	1,029	5000	„
27.	„	1,033	1,028	4800	„
28.	„	1,032	1,028	4650	„
29.	„	1,032	1,028	4800	„
30.	„	1,030	1,027	4000	„

Pondus specificum.				Urinae copia
dies.	mensis.	urin. matut.	urin. diurn.	per hor. XXIV
1.	VI.	1,030	1,029	4000 C. C
2.	„	1,029	1,025	3550 „
3.	„	1,030	1,026	3860 „
4.	„	1,030	1,030	3890 „
5.	„	1,030	1,028	4050 „
6.	„	1,032	1,030	3900 „
7.	„	1,029	1,026	3770 „
8.	„	1,031	1,027	3950 „
9.	„	1,029	1,027	3750 „
10.	„	1,026	1,025	3939 „
11.	„	1,026	1,024	3200 „

Aegrotus, quum pernam edere jam posse negat, ab illo die pernae loco quotidie quadrantem pondo lardi accipit.

Forma diaetae prima cum duobus panibus siliginis, VI ova, quadrans pondo lardi, VI semun assi vitulini.

12.	„	1,029	1,028	3530 „
13.	„	1,026	1,024	3400 „
14.	„	1,028	1,022	3850 „
15.	„	1,027	1,025	3420 „
16.	„	1,027	1,025	3200 „
17.	„	1,030	1,027	3010 „
18.	„	1,028	1,027	3850 „
			Opium et amon. carbon.	
19.	„	1,030	1,028	3040 „
20.	„	1,032	1,029	2040 „

Pondus specificum.				Urinae copia.
die	mens.	urin. mat.	urin. diurn.	per hora XXIV
21.	VI.	1,032	1,029	2700 C. C.
		in humore oris multum acidi inesse invenitur.		
22.	„	1,031	1,029	3870 „
23.	„	1,032	1,031	2400 „
24.	„	1,032	1,028	2900 „
25.	„	1,034	1,030	2550 „
26.	„	1,032	1,028	2700 „
27.	„	1,030	1,029	2890 „
		caecitatem auctam esse aegrotus se animadvertisse, negat.		
28.	„	1,030	1,028	2810 „
29.	„	1,031	1,029	2710 „
30.	„	1,030	1,025	2650 „
1.	VII.	1,034	1,025	2640 „
3.	„	1,030	1,027	2630 „
4.	„	1,031	1,027	2580 „
5.	„	1,031	1,028	2600 „
6.	„	1,032	1,032	3030 „
7.	„	1,030	1,030	3050 „
8.	„	1,034	1,032	2400 „
9.	„	1,033	1,032	2230 „
10.	„	1,030	1,030	2710 „
11.	„	1,032	1,030	2300 „
12.	„	1,030	1,029	2450 „

Examine chemico urinae haec inventa sunt:

sacchari 5,543

acidi urinosi 0,740

chlornatrii 0,32.

Ex hoc die aegroto praeter opium et ammon. carbonic. datur pepsini gr. v p. d, ter quotid.

Pondus specificum				Uurina copia
die	mens.	urin. mat.	urin. diurn.	per horas XXIV
13.	VII.	1,032	1,030	3200 C. C.
14.	„	1,030	1,030	2700 „
15.	„	1,030	1,030	2200 „
16.	„	1,030	1,028	2500 „
17.	„	1,031	1,030	2400 „
18.	„	1,032	1,030	2450 „
19.	„	1,030	1,029	2480 „
			in hujus diei urina mat. inerat	
20.	„	1,030	1,028	2570 „
			sacchari 4,1%	
21.	„	1,032	1,030	2580 „
22.	„	1,030	1,030	2560 „
			Aegrotus laborat dentibus.	
23.	„	1,029	1,027	2900 „
24.	„	1,030	1,029	2210 „
25.	„	1,033	1,031	2630 „
26.	„	1,031	1,029	2600 „
27.	„	1,032	1,029	2690 „
28.	„	1,030	1,030	2200 „
29.	„	1,030	1,029	2730 „
30.	„	1,029	1,028	2450 „
31.	„	1,031	1,030	2590 „

Non dicam de iis diabetae remediis, quae frustra adhibita sunt, quorum numerus permaximus est, statim accedo ad describendam therapiam, qualis pro statu litterarum hujus aetatis et secundum ea

quae usu et scientia probata accepimus, respici debet. Ac Griesinger quidem de therapia optime meritus est, quod multis tentationibus observationibusque factis magnam partem medicamentorum, quae ante cum detrimento adhibita erant, e therapia rejecit.

Ex artis praeceptis defendi posse videtur, quod aegroto fructum cujusvis nutrimenti amylosi vel saccharosi interdicamus, ne secretoni sacchari jam mirifice auctae novam ejusmodi materiam adjiciamus. Sed quoniam pro comperto habemus, tali praeceptum ab aegrotis aliquo tempore elapso, aegre ferri et eos mox talis temperantiae ac continentiae tantopere taedere, ut praecepta non sequantur, inter omnes nunc convenit, aegroto exiguam partem talis nutrimenti concedere. Pro pane usitato, illum panem a Bouchardat in usum inductum, quem dicimus „Kleberbrod" commendemus. Quod attinet ad copiam et compositionem ciborum, ad historiam morbi, supra allatam, delego.

Quamquam adducto permulto humore secretio sacchari augetur, tamen aegroto interdicere non licet, ne sitim expleat. Bibenba sunt: aqua, quibus inest Acid. carbonic., aqua Selter. et Sodae, cerevisia, bene fermentata, vinum rubrum, aqua alcoholisata, coffea, thea etc. In universum commendari debet, ut diabetici lente ciborum bene mansorum modicam partem sumant.

Quoniam diabetici inclinant ad perfrictionem a capite usque ad pedes calide vestiti esse debent;

praeterea tempore aestivo aquis calidis functiones cutis irritandae sunt. Aegrotis validis aquae marinae utiles sese praestiterunt. Nimirum idonea praecepta diaetetica summi sunt momenti.

E remediorum numero, quae ad sanandos diabeticos in usu fuerunt, alcalia jam diu praedicata et adhibita sunt. De vi eorum alii auctores in alia fuerunt sententia. Franciscus Hartmann in universum nihil ea valere maleque ferri ab aegroto putat. Dicit enim: Es lässt sich nicht läugnen, dass unter dem Gebrauche von Alkalien, sowie der übrigen Mittel eine Verminderung des Zuckers im Urin beobachtet wird. Dies geschieht nehmlich, wenn sie in einer solchen Dose gereicht werden, dass sie den Magen verderben. Dann mindert sich constant der Zucker, und hierin liegt die Wirkung der Alkalien.“

Ac ne Lebert quidem alcaliis magnam fidem habet, censet enim modice data, digestionem afflictam juvare posse, sed quod attinet ad doses majores Natr. bicarbonic. ʒj—ʒij, quin etiam ad ℥β, nunquam se vidisse affirmat utiles esse. Contra Griesinger alcaliorum acidum carbinic. continentium modicis dosibus sanationem manifesto, etsi non multum, provectam esse, observavit. Multi prosperiores eventus aquis Vicchyensibus et Carolinensibus exstiterunt. Saepe curatione complurium hebdomadum Carolini sitis et secretio urinae minuta est, corporis pondere crescente et saccharo urinam deficiente. Et eventus sive permaneat, sive fugiat, tamen in malo tam gravi semper grandis habendus erit.

Bouchardat ammonium carbonic. laudat, formulaque usitata utitur hac:

℞ ammon. carbonic. ℈iv
Rhei ʒv
Aquae destill. ℥iv.

MDS. ter hora dimidia ante coenam sumenda.

Cujus praecepti eventum insignem Lebert non vidit.

Praeter haec remedia opium jam longum tempus in usu est. Cujus magnae doses dantur et nunquam fere alvum restrictum facit. Ac de hujus quoque remedii vi variae prolatae sunt sententiae. Lebert nullam certam utilitatem se animadvertisse contendit. Sed ex morbi historiis a me narratis elucet bevi tempore opii adhibito, quantitatem urinae admodum minui et hac re sacchari copiam minorem fieri.

Sitis qua magnopere patiens vexabatur in dies remittebat neque ille urina saepe reddenda e somno excitabatur.

Pepsinum, quod laudibus nuper effertur, utilem non esse, in nosocomio Tuebingensi observatum esse dicunt. A Lebert ferrum praedicatur, quod ipse reductum gr. ij—iij p. d. inter quamque coenam sumendum praescribit.

Dr. Kirchner, Detmoldiensis, salia calcarea commendat, quae hac forma praecipit:

℞ Calc. phosphor.
Calc. carbon. āā ʒj
Aq. Meliss. ℥vj

MDS. alternis horis cochlear majus.

His expositis videmus quam diversae de vi remediorum variorum sententiae inter se repugnent, neque hoc illi praeferre possumus. Ego quidem iterum ad eventus prosperos delego quos Ill. Ruehle suo curandi genere effecit et existimo, eos non tam medicamentis, quam diaeta idonea factos esse, quamquam et opio et alcaliis acidum carbonicum continentibus fidem habeo. Non uno, vel altero, sed omnibus simul adhibitis aegrotus sanatur.

Qui morbi ad hunc nostrum accedunt praeceptis notis tractandi sunt. Ubi alvus pertinaciter restricta sit, purgantia, non drastica; contra diarrhoeam opium; contra tuberculosin ol. jecor. aselli aliaque medicamenta nota praescribemus; pneumonia ad finem oboriens summa diligentia et cautela remediis antiphlogisticis tractanda est.

Utrum diabetes omnino morbus insanabilis, an therapia nostra propter naturam morbi non satis cognitam et perspectam imperfecta sit, quaestio est, quam solvere nondum licet.

VITA.

Natus sum C. Albertus Pfeffer die XXIV mensis Novembris a. h. s. XXXVIII in oppido Litthuanico Russico Salanten, patre Henrico, quem praematura mihi morte hoc anno ereptum lugeo, matre Anna e gente Buve, quam adhuc superstitem pio gratoque animo veneror, Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in domo paterna per quatuor annos imbutus, Gymnasium Libaviense octo annos frequemtavi. Deinde propter infirmitatem corporis annus unus domi mihi peragendus erat. Quo tempore exacto, testimonio maturitatis instructus, aestate a. h. s. LVIII almam Berolinensem universitatem petii et ab Ill. Rudorff, Rectore Magnifico civibus academicis adscriptus apud Ill. Mitscherlich gratiosi medicorum ordinis Decanum Spectatissimnm, nomen rite professus sum. Deinde tempore auctumnali a. h. s. LXI almam Gryphiam petii et ab Ill. Baumstark, Rectore Magnifico civibus academicis adscriptus, apud Ill. Budge gratiosi medicorum ordinis Decanum Spectatissimum nomen rite professus sum.

Novem per semestria audivi disserentes:

Berolini.

Ill. Trendelnburg: de logice; de psychologia.

Ill. George: de primcipiis philosophiae naturalis.

Ill. Dove: de physice experimentali; de meteorologia.

Ill. Mitscherlich: de chemia experimentali.

Ill. Peters: de zoologia.

Ill. Braun: de botanice; de systemate naturali plantarum

Ill. Rose: de mineralogia.

Ill. Reichert: de anatomia; de anatomia organorum sen-suum; de histologia; de anatomia cerebri et medullae spinalis; de arte cadavera dissecandi; de anatomia mi-croscopica.

Exp. Lieberkühn: de osteologia et syndesmologia.

Ill. Remak: de embryologia et histologia musculorum et nervorum.

Ill. Ziemssen: de encyclopaedia et methodologia.

Ill. Du-Bois-Reymond: de physiologia; de diffusione.

Cel. Henoch: de therapia et pathologia speciali.

Gryphiswaldiae:

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali; de herniis; idem mihi dux fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Rühle: de psychiatria generali; idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de theoria obstetricia; de morbis mulierum de morbis neonatorum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Laurer: de arte formulas medicas rite concinnandi de toxologia; de materia medica generali et speciali de arte fascias rite alligandi.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica speciali.

Ill. Ziemssen: de auscultatione et percussione; de exan-thematibus acutis.

Exp. Schirmer: de arte speculum oculi rite applicandi.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de medicin politia.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ag quam maximas semperque habebo.

THESES.

I.

Varicoceles operationem nunquam fere esse indicatam.

II.

Causam hypertrophiae cordis in morbo Brightii non satis esse cognitam.

III.

Symphiseotomiam omni modo esse condemnandam.